DE

SACCHARI SATURNI USU INTERNO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-THERAPEUTICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XVIII. M. JULII A. MDCCCXXXIX.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

Constantin Spiritus
SOLINGENSIS.
RHENANO-BORUSSUS.

Opponentibus:
C. HECHT, med. et chir. Dr.
C. GESTERDING, med. et chir. Dr.
TH. CICHORIUS, juris Studios.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, AMPLISSIMO

AEMILIO OSANN,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICINAE PROFESSORI PUBL. ORD. IN UNIVERSITATE LITERARIA FRIDERICA GUILELMA, REGI BORUSSORUM A CONSILIIS INTIMIS, DIRECTORI INSTITUTI POLICLINICI UNIVERSITATIS, ORDINIS REGII DE AQUILA RUBRA IN CLASSE TERTIA EQUITI, PLURIUM SOCIETATUM LITERARIARUM TAM PATRIARUM QUAM EXTERARUM SODALI ETC. ETC.

PRAECEPTORI ET FAUTORI HUMANISSIMO, OPTIME DE SE MERITO,

NEC NON

VIRO

PRAENOBILISSIMO, EXPERIENTISSIMO

CAROLO JOEST

MERCATORI, MAGNARUMQUE OFFICINARUM POSSESSORI

PROPINQUO ET AMICO PATERNO DILECTISSIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

§. 1.

Quamquam antiquis jam medicis Saturni usus et externus et internus innotuerat; tamen hoc remedium sub indicationibus tam infirmis et vagis, saepe tam contrariis, atque dosibus et praeparatis tam incertis et iniquis adhibebatur, ut summo a multis vituperaretur atque contemneretur: quare nostri praecipue aevi erat hujus remedii doses et praeparata melius cognoscere, eique inter caetera remedia dignum atque debitum assignare locum.

§. 2.

Itaque et multum jucunditatis et plurimum utilitatis quod ad cognoscendum et prospere adhibendum hocce remedium me aliis allaturum esse arbitror, si multas ac varias illas tum veterum tum recentium

medicorum in utramque partem prolatas sententias de remedii usu, de morbis, in quibus adhibendum sit, de eventibus, quos afferat, accuratius examinem atque inter se compararem. Jam vero metuendum est, ne labor sit, qui fines opusculi, ad dissertationem constituti, longe excedat; quoniam autem Saccharum Saturni maxima ex parte interne adhibetur, internum modo hujus praeparati usum, quantumcunque provirili mea parte potero, considerabo.

§. 3.

Plumbum aceticum est unum ex multis illis remediis, quae debemus Alchymiae studio, quod per se quidem stultissimum, plurimum tamen praebuit utilitatis. Etsi jam veteres plumbum in aceto solvi posse noverant (1) tamen Basilius Valentinus primus fuisse videtur, qui illud praeparatum simulque acetum plumbicum, cum illo intime conjunctum, parandum docuerit. (2)

---

(1) Cato de re rustica, ed. Gesneri. Vol. II. pag. 105—107. Columella de re rustica. Lib. XII. c. 19—20.

(2) Triumphwagen Antimonii fratris Basilii Valentini, an den Tag gegeben durch Johann Thölden, Hessum, Nürnberg 1676.

§. 4.

Primus, qui internum Plumbi acetici usum commendat, fuit Paracelsus, qui quartum illud artis medicae fundamentum appellat, illoque in omnibus Hydropis et Asthmatis speciebus usus est (1).

Secuti sunt saeculo decimo sexto asseclae ejus atque sectatores: Wuirzius, Sennertus, Graumannus; saeculo decimo septimo: Kircherus, Libavius, Rolfink, Teichmeier, Beguinius, Wedelius alii.

Multi vero illius remedii adversarii saeculo decimo octavo exstiterunt, quorum quidem principes fuerunt Fridericus Hoffmannus, Boerhaavius, Stahlius.

Boerhaave (2)» interne, inquit, commendatur pro remedio salubri contra Haemoptoen, Haemorrhagiam, Mictum sanguinis, Gonorrhoeas, Fluores albos et similia, tum etiam pro mitificante remedio contra acria sanguinis. Sed nunquam ausus fui facere periculum, quia felices successus haud vidi ab aliis ad-

---

(1) Paracelsi opera omnia, Genevae 1658. Vol. II. p. 201. et Th. Erasti disput. de medicina Paracelsi. Basil. 1573. §. IV. pag. 218.

(2) Elementa chemiae Hermanni Boerhaave. Basil. 1745.

hibentibus natos et quoniam novi, vix dolosius haberi, tetrumque magis venenum, quam ab plumbo, statim in cerussam redituro, ac acidum ab occurrente quacunque re inde absorbetur.«

Triller (1) Saccharum Saturni summo jure adnumerandum esse dicit iis venenis, quae quidem non tam promte, quam Arsenicum Bismuthum etc. tamen sine ulla dubitatione lente occidant.

Neumanus (2) internum Sacchari Saturni usum perquam perniciosum et periculosum esse contendit.

Tissot (3) interne, ait, Extractum Saturni nunquam sine periculo et incommodo esse adhibendum, quippe quod venenum sit lente occidens. Simili ratione Petrus Frank (4) plumbi usum improbat, dicens: »In asthenicis hinc profluviis haec (adstringentia) utique arripimus et quin, suspectum et nobis saturni usum internum, licet nuper iterum laudatum approbemus,« et ibidem paullo infra, ubi disserit de metrorrhagiis curandis, dicit: »Sacchari, Tincturae Saturni ad minimum suspectus in medicina usus est.«

---

(1) Dispens. univer. pag. 594.

(2) Caspar Neumann Chymia medica. Tom. II. Züllichau 1756.

(3) Tissot de Onania. Lausanne 1774.

(4) P. Frank epitome etc. liber 5, pars 2, pag. 113.

Pariter repudiant plumbi usum internum Lille (1), Nebel (2), Camerarius (3); Alii vero, ut Cullenius (4), Lieutaudius (5), probant quidem illum, sed ita, ut in maximo tantum periculo minimis adhibeatur dosibus.

§. 5.

Jam vero si quaerimus, unde factum sit, ut illis temporibus illud remedium tantopere contemneretur atque improbaretur, prae omnibus multa veneficia quae quotidie medici observabant, ab eo deterrerent, necesse erat. Nam quamdiu plumbo in arte pictoria atque ad domestica instrumenta conficienda utuntur homines, tamdiu certe noverunt colicam suturninam aliosque morbos, mortem tandem ipsam plumbi veveno inductam; atque narrationes, sicut Ebellii (6), qua magna illa tegmenti plumbei fictilibus obducti pericula ostendit, solae sufficiunt, quae plumbi

(1) Dissertatio de plumbi virtutibus medicis.

(2) Dissertatio de plumbo; Heidelb. 1787.

(3) De venenorum indole ac dijudicatione etc. Tubing. 1725.

(4) William Cullen Anfangsgründe der practischen Arzneikunst. Aus dem Englichen Leipzig 1800.

(5) Joseph Lieutaud Inbegriff der ganzen medicinischen Praxis. Leipzig 1799.

(6) C. A. Ebell. Die Bleiglasur der Töpferwaaren. Hannover 1794.

adhibendi terrorem commoveant; ut omittamus descriptiones magnarum epidemiarum, plumbo adductarum ut colicae illius, qua Pictavienses premebantur (1).

Accedit porro, quod omnes fere putabant, plumbum inesse in venenis, quae improbi homines ut arcana venditarent. Sic pulveri successionis, ita nominato, quia heredes eo utebantur ad propinquos suos necandos, Erndl (2) plumbum inesse arbitratur, quam quidem opinionem refutat Ill. Osann (3) et demonstrat, hunc pulverem ex aliis substantiis constare, arsenico teste Stenzelio, et pulvere adamantum auctore Lindestolpio. Historiam quoque comitissae a Brinvilliers commemorat, qua perlustrata, judices in pulvere nil Saturni invenisse, apparet, mortemque, veneni istius ope acceleratam maxime differre, a morte veneficio Saturni exorta. Multi, illam apud Italos male famatam aquam toffanam concentratam plumbi acetici in aqua destillata solutionem esse censent (4).

---

(1) Combalusies observations et reflexions sur la colique de Poitou. Paris 1761.

(2) Erndl dissert. ex veneno salutem sistens. Lips. 1701.

(3) Dissertatio sistens Saturni usum medicum maxime internum. Jenae 1809.

(4) G. F. Most Encyclopädie. Leipzig 1834. Bd. II. S. 127.

Tertiam causam jam supra, Boerhaavii verbis usus, commemoravi, qui quidem dicit, plumbum aceticum in corpore in cerussam commutari, quam noxiam esse atque periculosam, inter omnes constat. Cui quidem opinioni respondet Barkhuisen dicens: »Si Saccharum Suturni interne datur, conjungunt se partes alcalicae volatiles corporis humani cum acido Sacchari Saturni atque efficiunt sal quoddam enixum sanitati coniventissimum.« Hanc quidem sententiam refutat Neumannus (1) atque partes alcalicas volatiles in corpore humano adesse negat, et, si adessent, tamen coniunctione cum Saccharo Saturni nullum fieri sal enixum, sed sal quoddam ammoniacale atque plumbi quandam praecipitationem asserit. Restat ne vero noxium illud praecipitatum plumbum in corpore?

Quarta denique causa, qua multi ab interni hujus Sacchari usu deterrebantur, in permagnis illis dosibus fortasse ponenda est, quibus priores utebantur, quae saepe funestissimos morbos procreare poterant.

Paracelsus a granis decem ad quindecim hoc remedium praescribit.

---

(1) Chymia medica etc.

Woyts (1) dosis, inquit, est granorum IV, granorum VI, ad ℈ß.

Hermannus (2) »Saccharum Saturni interne datur a ℈j ad ʒß; emendatur ejus Boeclerus, etsi dosin permagnam vituperat, tamen haud parvam commendat ipse, dicens, »Sal Saturni interne licet inter remedia splenetica antihypochondriaca referatur, caute tamen sub dosi granorum duorum, sex etc. et rarissime debet adhiberi.«

Swietenius (3) narrat: »Vidi, nobilem juvenem, cui pro curanda gonorrhoea datum fuerat saccharum Saturni in emulso ad drachmam singulis diebus et quidem per decem dies continuos, in hunc morbum (Colicam pictonum) incidisse, unde tamen, licet aegre, evasit.« Loschning (4) de usu Sacchari Saturni interno in curandis febribns malignis ita describere non erubescit: »Omnium primo, si nullum adsit contraindicans signum, vomitus proliciatur,

---

(1) J. Woyts, Gazophylacium medico-physicum. Siebente Auflage. Leipzig 1709.

(2) Pauli Hermanni Cynosura materiae medicae, curante Johanne Böclero. Argent. 1745.

(3) Gerhardi v. Swieten, Commentaria in Hermanni Boerhaave aphorismos. T. III. Hildburghusae 1754.

(4) Guil. Loschning in responso ad. Ep. 23. pag. 167.

deinde singulis trihoriis haec propinetur aqua alexiterica:

℞ Aq. Scorzoner.
- Flor. Papaver.
- Rub. Idaei āā ℥jv.
Syr. Rub. Idaei ℥jj
Sacch. Saturni ʒjβ
Antim. diaphoret. ʒjjβ.

MDS. Sume quater per diem tria ad quatuor cochlearia.

Secundo:

℞ Pulv. cancror. cond.
- C. C. ust.
- Sacch. Saturni
- Diaphoret.
- Terrae sigillat.
- Nitr. ammoniat āā ℥jj

MDS. Servetur ad usum. Dosis est drachmae unius per diem.

Parentus (1) dosis, inquit, est pro infantibus sex vel septem annorum gr. jj—jv, pro juvenibus gr. jv—x, pro adultis gr. vj—xjj.

---

(1) Andreae Parenti de dosibus medicamentorum liber, cum praefatione Hieronymi Davidi Gaubii. Viennae 1761.

§. 6.

In secundo saeculi decimi octavi dimidio, plumbi in medicina usus major erat; causae, quibus ille improbabatur, paulatim rebus et medicis et chemicis melius cognitis atque intellectis, tollebantur, ipsique morbi, hoc metallo inducti aptius commodiusque curabantur atque ita minus periculosi et terribiles erant. Medicorum, qui tunc interno praecipue Saturni usui indulgebant, dignissimi sunt, qui nominentur Reynolds (1), Saxtorph (2), qui haec habet: »Id vero facta experimenta docere possunt, usum Sacchari Saturni internum haud tam periculosum esse, quam vulgo creditur et majorem sane medicorum doctiorum attentionem et disquisitionem mereri videntur«, denique Osiander (3).

§. 7.

Jam vero, si disquirere volumus, quid internus plumbi usus efficiat, et quibus in morbis salutarem

---

(1) Reynolds on the use of the Preparations of Lead in some Haemorrhages. Trans. Coll. of Phys. London Vol. III. 1785.

(2) Act. Reg. Societ. med. Hafniensis. Vol. III. Hafniae 1792.

(3) F. B. Osiander, über die Entwickelungskrankheiten in den Blüthenjahren des weiblichen Geschlechts. Göttingen 1817. Theil 2. Seite 147.

efficaciam maxime praestet, optimum mihi videtur, varios morbos variasque doses et praeparata, quibus medici utebantur, percontari quibus omnibus quam accuratissime consideratis atque comparatis, optime de salubritate et medicata hujus remedii vi judicium ferri posse videtur.

§. 8.

Respiciamus primum illas Saturnum adhibendi methodos, quibus non ut medicamentum internum strictiore sensu adhibetur, quas tamen nihilominus magis minusve ad usum internum referre possumus.

I. Permulti hoc remedio utuntur ad Gargarizandum, ut Goulardus (1): »in ipsa, inquit, partium colli internarum inflammatione bonam habes aquam ad gargarizandum, si tres Sacchari Saturni drachmae mensura aquae rosarum, libris duabus aquae reginae Hungariae solvantur.«

Crollius (2) ad ipsa ulcuscula aphthosa applicari jussit tamquam praestantissimum remedium.

Salchow (3) aphthis oris febre inflammatoria

(1) Richtiger Gebrauch des Bleiextracts. Halle 1783.

(2) Basilica chymica etc.

(3) A. C. Salchow, Chirurgische Beobachtungen. 2te Aufl. Altona 1784.

ortis, aceto saturni gargarizari suadet; quod etiam Lieutaudius (1) commendat.

Boucher (2) penicilli ope aegrotos angina inflammatoria laborantes tonsillis hoc remedio illinere jubet.

II. In Gallia commendavit nuper medicus in Phthisi laryngea inspirationes plumbi subtilissime pulverati cum septem Sacchari communis partibus conjunctis (3).

III. Vapores plumbi in phthisi inspirari suadent: Kopp (4), Richter (5), v. Hildenbrand (6), qui fumum herbae nicotianae acetô Saturni superfusae sugendum praecipit; Rehmannus (7) Buraetos, in Asia habitantes, vapores plumbi, sulfure et mercurio conjuncti, contra luem veneream inspirare narrat.

IV. Iniectiones in urethram et vaginam placent nonnullis; sic Cribb (8) plumbum aceticum, vel

(1) Inbegriff der gesammten medizinischen Praxis. Leipzig 1799.

(2) Recueil d'observations de médécine etc. Tom. VIII. 1785.

(3) Memoires de l'académie royale de Medecine. Tom. VI. Paris 1837.

(4) Hufelands Journal XXIX. 5.

(5) A. G. Richter specielle Therapie etc.

(6) Hufelands Journal VIII. 4.

(7) Hufeland Journal XXXII. 3.

(8) Considerations on the use of injections in the gonorrhoea London 1773.

aqua destillata, vel calcis, vel vulneraria solutum, gonorrhoea et fluore albo laborantium urethrae et vaginae imittendum suadet, ita ut granum unum, uncia aquae solutum, ter per diem injiciatur et, nisi decem dierum spatio morbus cedat tantundem vitrioli albi et dimidia pars camphorae, cum spiritu vini rectificato tritae, addatur. Porro Hunter (1), qui quatuordecim grana, octo aquae unciis solvit; tum Girtanner (2), Hahnemann (3), Michaelis, alii.

V. Clysteres. Ad fluxum alvi compescendum enematibus plumbum adjici jubet Goulardus (4). Tissot (5) contra nymphomaniam clysteres hos praescribit:

℞ Rad. Althaeae ℥ß
Sem. Lini. ℥ij
Sacch. Saturni gr. VI.
coque per septem minutas.

Dreissig (6) morbum coeliacum injectionibus plumbi acetici, opio conjuncti, in anum factis cura-

(1) J. Hunter on the venereal disease. Lond. 1786.

(2) Abhandlung über die venerischen Krankheiten. Göttingen 1788.

(3) Unterricht für Wundärzte über die venerischen Krankheiten. Leipzig 1789.

(4) Remarques et observat. pag. 183.

(5) Tissot de onania. Lausanne 1774.

(6) Hufelands Journal. 1816 August.

bat. Devergie (1) in phthisi, ubi jam diarrhoea colliquativa aderat, clysteres, Saccharum Saturni continentes, applicavit, quo facto fere semper diarrhoea diminuta, imo in nonnullis casibus omnino suppressa est, quamquam aegroti quotidie decies vel duodecies alvum dejecerant. Sudorem et exspectorationem quoque diminutam esse contendit. Haec est forma qua enemata praescripsit:

℞ Plumbi acetici gr ij
Natr. carbon. gr. j
Laudan. Sydenh. gutt. IV
solve in
Decocto Sem. Lini.

DS. Matutino et vespertino tempore quarta pars pro clysmate applicetur.

Paulatim plumbi dosin ad grana quinque auxit. Neuber (2), duas hernias incarceratas injectione solutionis plumbi acetici se sanasse contendit; quae enemata prosperrimo cum eventu Rennerth (3) in tribus casibus herniae incarceratae repetiit; juveni duodecim annorum duos clysteres applicabat, quorum uterque ℥vj aquae saturninae continebat; in ℥vj au-

(1) Bullet. de thérap. T. XI. Livr. 5.

(2) Schmidt's Jahrbücher. Band IX. Leipzig 1836.

(3) Zeitschrift des Vereins für Heilkunde in Preußen. 1838.

tem aquae saturninae ℥j aceti plumbici inest. — Adair (1) guttas viginti ad drachmam unam aceti Saturnini forma clysmatis applicatas, irritationem intestini recti in dysenteria optime demulcere refert.

§. 9.

Morbi, in quibus interne adhibetur Saccharum Saturni, multifarii sunt, vel nervornm, vel vasorum sanguiferorum, vel organorum secernentium.

I. Epilepsia. Contra hunc morbum Paracelsus saccharum Saturni dosi granorum duorum laudat. — Epilepsiam hystericam, quae nec asae foetidae, nec quassiae, nec liquori nervino intra sex hebdomades cesserat, Saxtorph (2) dato ter per diem quadrante grani sacchari saturni sanavit. Epilepsia enim non rediit, et postquam tria grana ejusdem praeparati quotidie per tres hebdomades dederat, aegrota salutem recuperaverat. A. G. Richter (3) epilepsiam per octo annos jam protractam, terrore exortam, usu interno Sacchari Saturni sanavit. Secundum ejus sententiam plumbum salutarem

(1) Medical commentar. London 1785.

(2) Acta Regiae Societatis medicae Havniensis. Vol. III. 1792.

(3) Specielle Therapie, Band 7. Seite 699.

praestat effectum, si epilepsia cum erethismo systematis vasorum conjuncta, certum quendam sequitur typum.— Gesneri specificum contra epilepsiam hoc est:

℞ Acidi nitrici ℥VIII
coque cum
Sacch. Saturni ℥j
cui adde ad Saturationem Kali carbon q. s.
MDS. Summe guttas decem tempore matutino, cum decocto mucilaginoso.

Eberle (1) se epilepsiam plumbo acetico sanasse affirmat. Per quinque dies continuos mane et vesperi terna dedit medicaminis grana, exhibito post singulas doses cochleari olei olivarum. — J. Frank (2) perhibet: »sed causa epilepsiae inflammatoriae in venis potius quaereretur, acetati plumbi locus foret.« Porro hoc remedium, ut antepilepticum celebrant: Rushius (3), Earle (4), Mayerne (5), Lieutaudius una cum cinnabari antimonii, in epilepsia infantum denique Agricola (6).

---

(1) Journal de médicine, par Leroux Tom. 38. April.

(2) J. Frank, praxeos medicae universae praecepta. Lipsiae 1823.

(3) Philad. Med. Mus. Vol. I. p. 60

(4) London. medic. reposit. vol. VIII. pag. 178.

(5) Prax. medic. pag. 52.

(6) Commentar. in J. Poppium tr. de Saturno.

II. Hygrophobia. Tinctura plumbi in hoc morbo adhibita est, et in electuario quidem »contra morsum canis rabidi« dispensatorii Brandenburgici; illud enim per Fridericum magnum a pastore quodam Silesiaco emtnm, publicatum et sic compositum est:

℞ Meloes proscarab. majal. Nr. xxiv.
Theriacae ℥ij
Rad. Serpentar.
Tinct. Saturn. aa ʒj
Ebeni ʒij
Fung. fraxin. gr. xx.

Schmuckerus duos milites rabiae canina correptos liberavit, nec desunt alii, qui optimum hujus remedii effectum se vidisse dicant. Pariter Tayermann (1) magnas doses ejus probat.

III. Tetanus. Plenk (2) atque Richter (3) adhibuere Saccharum Saturni.

IV. Chorea St. Viti. Schaefer (4) juvenem septemdecim annorum hoc morbo laborantem Plumbo acetico cum Opio conjuncto sanavit.

V. Hysteria et Hypochondria. Tache-

---

(1) Annals of philosophy Sept. 1824. pag 232.
(2) Abhandl. der chirurg. Academie zu Wien. Band. 1.
(3) Chirurgische Bibliothek. Band 9, Seite 208.
(4) Hufelands Journal 1820. April.

nius (1), Cullenius (2), imprimis Saxtorphius, quem jam supra epilepsiam hystericam plumbo sanasse commemoravimus, ejus usum laudant; narrat hic ibidem paullo infra: »Hocce tempore similiter meae curae demandata est puella, viginti annos nata, quae morbo hysterico graviter decumbit et jamjam per tres hebdomades octodecim grana Sacchari Saturni quotidie ingessit, quod nullas alias sequelas induxit, nisi lenem salivationem et dein vomitum, unde per aliquot dies usus ejus seponebatur.« — Hermannus (3) Saccharum Saturni inter remedia antihypochondriaca numerat.

VI. Mania et Melancholia. Cartesius ejusque asseclae in mania ad motum nimirum sanguinis imminuendum sistendumque ponderosa quaecunque remedia prodesse ajunt, quae gravitate sua sanguinis motum nimium sistant; in hunc finem praescribere solebant: lapides cancrorum, lapidem prunellae, Saccharum Saturni (4). — Orth atque Lieutaudius Saccharum Saturni cum camphora conjunctum hominibus insanis et furibundis porrexerunt. —

(1) Hypocrates chymicus etc.

(2) New. London medical Journal f. 1793. Vol. II.

(3) P. Hermanni cynosura etc.

(4) J. Dolaei encyclopaedia medicinae theoretico-practicae. Francofurti, ad Moenum. 1684.

In curanda Melancholia hoc remedium Ettmueller (1) laudat.

VII. Salacitas et Nymphomania. Galenus plumbum optimum esse dicit remedium ad salacitatem coercendam et delendam; Faschius, Boeklerus, Wedelius (2) virtutem ejus antaphrodisiacam laudant; ad libidinem moderandam Crollius; Hufelandius celeberrimus mulieri, nymphomania affectae, plumbum aceticum una cum Belladonna et Opio fausto cum eventu praescripsit (3). Commendant porro illud multi contra pollutiones nocturnas, ut Enrico de Vollmar (4), qui quotidie granum unum cum gumm. arab. summendum suadet. Efficaciam illius remedii antaphrodisiacam comprobare mihi videtur casus, quem Brunner (5) narrat: Vir quidam contra anginam ter per diem quadrantem grani assumserat; tribus granis consumtis, testiculi cum dolore intumescebant. Medicus curationem velut contra colicam saturninam instituebat atque aegrotum sanabat. Paullopost autem conquestus est ille de impo-

---

(1) Colleg. pract. pag. 875.

(2) Wedelius amoenitat. mater. medic. Lib. I. pag. 163.

(3) Hufeland's Journal XXXVIII. 2.

(4) Abhandlung über die Pest, Berlin 1827.

(5) Rust's Magazin. Band 17.

tentia virili, quae multis remediis perdiu frustra tractata tandem acido phosphorico cessit.

VIII. Gonorrhoea. Jam supra commemoravimus, Swietenium vidisse juvenem, cui pro curanda gonorrhoea singulis diebus drachma Sacchari Saturni porrigebatur. Astruc (1) Saturnum nonnisi in ultimo gonorrhoeae stadio adhibendum censet. — Tronchinus gonorrhoeam sanavit, quum dimidiam grani partem, ad duo usque grana, ter per diem aegroto dari jussisset. Praeterea commendant Fridericus Hofmannus (2) cum camphora, Michaelis Lange, Hermannus, Schaw, Osiander.

IX. Ardor urinae. P. Hermannus (3) pulverem Sacchari Saturni, nuce moschata, lapidibus cancrorum et mandibulis lucii piscis temperatum, praescribit.

X. Mictus cruentus. Contra hunc morbum Illustr. Osann (4) Saccharum Saturni commendat.

XI. Metrorrhagia. Plumbi acetici et tincturae Saturninae hoc in morbo usum confirmat Reynolds (5). Mulieri quinquaginta annorum vehemen-

---

(1) De morbis venereis. L. III. cap. 2, §. 6.

(2) F. Hofmann, pharm. med. chem. lib. III. cap. 13.

(3) l. conf.

(4) l. conf. pag. 51.

(5) Medical. Transactions. Vol. III. London.

tissima haemorrhagia uteri laboranti, guttas viginti tincturae Saturni horis dedit quaternis. Dosi tertiae cessit haemorrhagia, quum autem rediisset, denuo dedit: tincturae saturninae drachmas quatuordecim et tinct. thebaic. uncias duas; M. S. guttae sumantur viginti quater per diem. Una nocte dieque elapsis, haemorrhagia decrevit, mox oculis se subduxit. — Thilenius (1) metrorrhagias colliquativas in febri puerperali putrida Plumbo acetico sanavit. Eodem cum eventu adhibuit Stroem (2). — Amelung (3) mulierem viginti octo annos natam, metrorrhagia vehementissima cruciatam, hoc medicamine curabat. — Krimer (4) mulieri quadraginta novem annorum jam moribundae, contra metrorrhagiam plumbi acetici grana tria pro dosi imperavit, et alteri feminae contra eundem morbum, cum abortu conjunctum, octo pulveres, quorum unusquisque grana tria Plumbi acetici continebat, cum fructu dedit. — Malin (5) Plumbum aceticum, secali cornuto conjunctum, saluberrimum contra haemorrhagiam esse contendit. —

---

(1) M. C. Thilenius, medicinisch-chirurgische Bemerkungen.

(2) Acta societatis medicae Havniensis. Vol. V. Havniae 1818.

(3) Hufelands Journal XXII. 1.

(4) Hufelands Journal, August 1834.

(5) Hufeland Journal. 1837.

Eichelberger (1) intra horas sexaginta mulieri illo malo laboranti drachmam plumbi acetici praescripsit.

XII. Haematemesis. Malin (2) contra hoc malum juveni viginti annorum quovis trihorio grana tria Sacchari Saturni cum Opio exhibuit, et mulieri quadraginta annos natae ternis horis pulverem e Plumbi acetici et extracti Conii āā gr. ij; quae quidem curandi methodus in utroque casu saluberrimum obtinuit exitum. — Copeland (3) haemorrhagiam e ventriculo ortam magnis dosibus Sacchari Saturni, cum Creosoto conjuncti, sanabat. — Denique commendant illud, Barton (4) atque Krimer.

XIII. Haemoptysis. J. Frank (5) de curandis pneumonorrhagiis refert: »Defraudavit vero aliquoties alumen spem nostram ibi, ubi acetas plumbi votis respondebat.« — Kopp (6) »pulcherrimos, ait, effectus per saccharum saturni, tertia quaque hora ad quartam grani partem cum saccharo porrectum,

---

(1) Caspers Wochenschrift 1838 Nr. 4.

(2) Caspers Wochenschrift 1835. Nr. 52.

(3) J. Copeland encyclopädisches Wörterbuch, übersetzt von Kalisch. Berlin 1838.

(4) Philadelph. med. and phys. Journal. Pars 1. Vol. II.

(5) loc. conf.

(6) Beobachtungen aus dem Gebiet der ausländischen Heilkunde. Frankfurt 1821.

in clinico meo plurimos apud aegrotos haemoptoicos obtinui. Interea tale pharmacum, utpote ex classe venenorum desumtum et, ut vidimus, graves colicas producens, usui communi neutiquam inservire potest.»
A. G. Richter (1) laudat plumbum aceticum, si haemoptoe ex atonia orta sit. — Reynolds (2) pilulas fausto cum eventu has praescripsit:

℞ Sacch. Saturni gr. j
Conserv. Rosar. gr. IV.
Tinct. thebaic. gtt. iij
M. f. pilul.

Heinrich (3) puellam sedecim annorum, primum haemoptysi, deinde haemorrhagia perfecta laborantem, Saccharo Saturni curavit; paullo post colica saturnina vehemens secuta est, quam quoque superavit. — Weidemann (4) parvis dosibus haemoptoen se sustulisse contendit.

XIV. Pneumonia. Ritscher (5) primus nostrum remedium, semper cum opio conjunctum, commendabat; enarrat permultos casus, quos hac formula sanavit:

---

(1) Specielle Therapie, Band 3.
(2) Medic. transact. T. IX.
(3) Hufelands Journal 1818 Dezember.
(4) Caspers Wochenschrift 1838. Stück 3.
(5) Rusts Magazin Band 39, Heft 3.

℞ Sacch. Saturni gr. iij
Laud. liquid. Syd. ℈j
Aq. ceras. nigror. ℥ VI
Succ. liquirit. ʒij.
Ds. trihorio cochl.

Nunquam videbat incommoda hoc remedio orta. — Chevalier (1) pneumoniam vehementissimam hominis viginti tres annos nati, etsi obstructio aderat, simili formula curavit. — Eichhorn (2) virum viginti quinque annorum, illo morbo laborantem, intra sex dies granis quinque Sacchari Saturni ad sanitatem perduxit; colica saturnina, etsi plumbi dosis parva fuerat, postea eum adgrediebatur. — Neque minus Scharf (3) hoc medicamentum intense probat.

XV. Epistaxis. Reynolds (4) et Latham Saccharum Saturni Opio conjunctum laudant; non minus Schubert (5).

XVI. Ptyalismus. Ad grana decem pro dosi cum pulvere Doveri adhibendum suadet Da-

(1) Mediz. Zeitung des Vereins für Heilk. in Preussen 1834 Nr. 30.
(2) Medizinische Analen Band 1. Heft 3. 1835
(3) Rust Magazin, Band 48, Heft 2.
(4) l. conf.
(5) Med. Zeit d. Ver. f. Heilkunde in Pr. 1837. Nr. 20.

niel (1). — J. Frank vero dicit: »cave in ptyalismo mercuriali a remediis saturninis pro usu externo et interno propositis; dentes enim primo in casu in perpetuum nigros reddunt, et in altero inconsultum sane est metallo metallum, veneno venenum superaddere.« —

Ricord (2) refert, Plumbum aceticum illo in morbo parvi esse momenti. — In Suecia quoque contra ptyalismum et externe et interne plumbum adhibetur (3).

XVII. Ephidrosis. Non solum contra sudores phthisi laborantium, in quibus plumbum saluberrimum habere effectum, postea ostendemus, sed contra alias quoque sudationes morbosas laudatur; sic a Pittschaft: (4) viro sudore profuso post, febrem biliosam nervosam laboranti, mane et vesperi granum unum Sacchari Saturni cum Opio dedit, et feminam triginta annorum, eodem morbo post typhum implicatam hoc modo sanavit.

XVIII. Ulcera putrida saniosa. Amelung (5) plumbum aceticum contra ulcus permagnum

(1) Gazette of health. 1828. May. Nr. 149.

(2) Gazette des Hôpitaux Octob. 1836. Nr. 123.

(3) Hufelands Journal XXIII. 1.

(4) Hufelands Journal 1821. Junius.

(5) Hufelands Journal XXII. 1.

saniosum pedis interne adhibuit. Ulcus, post febrem rheumaticam, cum erysipelate pedis conjunctam, ortum erat. Medicus remedium nostrum talimodo praescripsit:

℞ Corticis Hippocast. ℥jß
f. decoct. aquos.
Colat. ℥ VI adde
Sacch. Saturni gr. ij
Tinct. Opii simpl. ℈j
DS. Omni bihorio cochl.

Post nonnullos dies secretio ichoris diminuta et intra dies octodecim ulcus omnino sanatum est.

XIX. Phthisis pulmonalis. In hoc morbo teterrimo atrocissimoque plumbum jamdudum remedium fuit celeberrimum. Sunt, qui dicant, Saccharum Saturni optimum esse remedium phthiseos, sunt qui illud solum ad curationem symptomaticam adhibendum esse putent. Quemadmodum vero phthisin ipsam non sanat, ita multa molestissima atque tristissima levat symptomata, ante omnia diarrhoeam et sudores nocturnos. In omni stadio omnique phthiseos genere hoc medicamen a variis medicis laudatum est.

Paracelsus omnes pectoris morbos nomine asthmatis complectens, in asthmate praecipue laudat

Saturnum. Saeculo decimo octavo permultae tincturae, antihecticae dictae, ex usu fuere, ut Tinctura antiphthisica Grammani, quae modo Wedelio modo Grammano tribuitur. Haase (1) hoc modo de illam tincturam praescribendam dicit:

℞ Plumbi acetici ʒij
solve in
Aceti boni ℥j
adde
Ferri sulfur. ʒjß
Spir. vin. rectif. ℥j
Aq. Rosarum ʒijj

DS. Viginti aut triginta guttae p. d. sumantur.

Cui tincturae similis est, tinctura antiphthisica Fulleri:

℞ Plumbi acetici
Ferri sulphurici aa ʒij
solve in
Spir. Vini rectif. ℥ij

reponatur in frigido, donec rubescat spiritus. Dosis eadem est quam tincturae modo commemoratae.

Tinctura antiphthisica Pharmacopoeae Edinburgiensis:

(1) W. A. Haase. Erkenntnifs und Kur der chronischen Krankheiten. Wien 1820. Band 3.

℞ Sacch. Saturni ℥iij
Vitr. Martis ℥ij
Inf. spirit. vini ℥ XII

Destilla et serva. S. 15—20 guttae p. d. dentur.

Virtutem Saturni phthisi medentem celebrat Wedelius (1). Ettmüller: Saccharum Saturni, inquit, est egregium hecticae remedium. Hundertmark (2) in phthisi exulcerata, nonnullorum aegrotorum historias narrans, laudat hoc remedium, praecipue connubium Saturni cum camphora aut mercurio. Hildenbrand (3) praecipue commendat in phthisi plumbum aceticum; antequam autem aegrotis praescripsit, medicus ille humanissimus, etsi sanus, ipse per longum tempus plumbum aceticum, quotidie grana tria ad quinque, sine ullo detrimento, sumsit. Semper illud in phthisi salutare fuisse contendit: diarrhoea colliquativa sistebatur, sudores nocturni, tussis atque exspectoratio diminuebantur, appetentia ciborum fere semper revertebatur. Praecipue probat mixturam plumbi acetici cum opio. Exempla observata esse dicuntur, quibus aegroti, phthisi affecti, abusu vini ad sanitatem perducerentur, quod quidem Hildenbrand

(1) Amoenit. mater. med. Lib. I. pag. 163.
(2) Act. Nat. curios. Vol. II.
(3) Hufeland's Journal VIII. 4.

a Saturno, quo vinum corruptum fuerit impraegnatum deducit. Neque minus Osiander (1) hoc medicamentum in omni phthiseos genere adhibuit, praecipue in phthisi purulenta, quam se interdum sanasse, semper autem levasse, contendit; plumbum conjungit cum Opio, aut Extr. Hyoscyami, aut Sacch. hordei et vespertino tantum tempore aegrotis porrigit. Aeque ac Hildenbrand auctam ciborum appetentiam observavit atque aegrotos nunquam alvum adstrictam habuisse narrat. A. G. Richter (2) inter remedia contrahentia, roborantia in phthisi numerat plumbum aceticum, praecipue si febris hectica, non inflammatoria, profusa alvus, tussis convulsiva, aegrotum vexent. Quodam in casu primo granum unum, deinde, paullatim dosin augens, grana octodecim quotidie dedit, tussis, exspectoratio, diarrhoea et febris diminuebantur, appetitus ciborum augebatur. Kopp (3) saluberrimum esse plumbum affirmat, nam aegrotum, omnia phthiseos signa prae se ferentem, sanabat. Idem alio loco (4) laudat vim plumbi ad sudores nocturnos coercendos; secretiones alvi non diminuebat, sed au-

---

(1) L. s. conf. pag. 148.
(2) Specielle Therapie Band 4. Seite 812.
(3) Topographie der Stadt Hanau, Frankfurt 1807.
(4) Hufeland's Journal XXIX. 5.

gebat; formam plerumque pilularum eligit. Hufelandius celeberrimus (1) ad diminuendum sudorem et exspectorationem commendat. Virum quadraginta septem annorum phthisi pituitosa laborantem plumbo sanavit, non minus mulierem quadraginta quinque annos natam (2).

Wolf (3) in quibusdam blennorrhoeae casibus plumbum utile se praebere asserit et aegrotum, qui inflammatione laborabat catarrhali chronica bronchorum, sanavit. J. Frank (4), ubi de phthisi pulmonali haemorrhoidali curanda loquitur,« effectus, inquit, stupendos ex usu interno acetatis plumbi observavimus, saltem pluries nobis licuit, illius ope phthisi haemorrhoidali confirmatae frenum injicere.» Schroeder van der Kolk (5) refert, plumbum aceticum in phthisi minus praestare; in uno tantum phthiseos pituitosae casu utile erat. Amelung (6) optimum esse morbi illius remedium dicit; sex allegat morbi historias hominum phthisi purulenta laborantium, quos

---

(1) Hufel. Journal XXXII. 6.

(2) Hufel. Journal XXXVIII. 2.

(3) Hufel. Journal 1814.

(4) Prax. med. univ. praecept.

(5) Observationes anatomico-pathologici et practici argumenti, auctore J. L. C. Schröder van der Kolk. Amsterdam 1826.

(6) Hufel. Journal XXII. 1.

curabat, haud minus nonnullos casus phthiseos pituitosae. Plumbum concoctionem ciborum semper accelerare atque appetitum augere affirmat. Karsten (1) mulierem phthisi purulenta in ultimo stadio laborantem intra quatuor hebdomades sanabat. Schaefer (2) saturnus, inquit, est saluberrimus contra sudores nocturnos eorum, qui phthisi aegrotant. Schlesier (3) in ultimo, ait, phthiseos purulentae et tuberculosae stadio grana duo ad quatuor semper levasse tussin atque exspectorationem, non minus sudores; aeque bonum apparuisse effectum in phthisi pituitosa; puerum sedecim annorum in ultimo hujus morbi stadio plumbo sanabat. Hellinger (4) hominem viginti septem annos natum phthisi purulenta affectum continuo hujus medicaminis usu ad sanitatem reduxit; per quatuor menses aegrotus centum et viginti septem grana sumebat. Fouquier (5) ante omnia efficaciam ejus contra sudores nocturnos laudat. Jam vero satis de plumbi usu in hoc morbo dictum mihi videtur. Ut enim phthisin plane non tollat, tamen omnes, plurimum hunc morbum levare, inter se con-

(1) Hufel. Journal XXXXV. 4.
(2) Hufel. Journal 1816. Dezember.
(3) Casper's Wochenschrift 1837.
(4) Clarus und Radius Beiträge etc. Band 2. S. 136.
(5) Dictionnaire des Sciences médicales. T. XXXXIII.

sentiunt, Phthisis ad eos morbos numeranda est, in quibus vel dubia remedia saepe adhibentur; anceps enim remedium melius est, nullo.

XX. Pestis. Enrico di Vollmar (1) in hoc malo haud raro plumbum bono cum eventu adhibuit; sic in uno casu pestis cum vehemente delirio conjunctae praescripsit:

℞ Kali sulph. gr. xv.
Camphor. gr. vi.
Plumb. acetici gr. iv.
Div. in part. aeq. Nr. viii.

Aegrotum jam moribundum sanabat.

XXI. Cholera. Graves contra hunc morbum Saccharum Saturni commendat; R. Venables autem dicit: hoc remedium nihil fere praestare, id quod etiam de plumbo nitrico censet (2).

XII. Gastromalacia. Steinbeck (3) infantem sex menses natum, omnibus aliis remediis frustra adhibitis, hoc medicamine sanabat. In gastromalacia subacuta aliis utilissimum se praebuit.

---

(1) l. s. conf.
(2) Behrends Repertor. 1837.
(3) Zeitschrift des Ver. f. Heilk. in Pr. 1837. Nr. 21.
(4) Würtenberg. Medizinisches Correspondenzblatt. Bd. VII. No. 23.

XXIII. Fluxus coeliacus; Thilenius (1) hunc fluxum pilulis his curabat:

℞ Extr. Millefolii
- Tormentill.
Gm. Mastich. aa ℥ß
Sacch. Saturni gr. IV
Extr. Opii aquos. gr. VI.
M. f. p.

XXIV. Diarrhoea et dysenteria. In diarrhoea celebrat Archerus (2) et in dysenteria jam Dolaeus (3). Contra diarrhoeas chronicas plumbum laudat Hegewisch (4), forma vel pulveris vel pilularum. Thilenius (5) diarrhoeas colliquativas et Schäfer (6) diarrhoeas chronicas ope Sacchari Saturni Calomelani juncti sustulit. Burke (7) egregium exstitisse in dysenteria epidemica testatur. Neumann (8) contra febrem infantum mesaraicam, si diarrhoea permagna adest, Plumbum aceticum, ut

---

(1) M. C. Thilenius medizinisch-chirurgische Bemerkungen, 2ter Theil. Frankfurt 1814.

(2) Remers Handbuch der Arzneimittellehre.

(3) De morbis abdomin. cap. V. pag. 497.

(4) Horns Archiv. Band VI. Stück 2.

(5) l. s. conf.

(6) Hufel. Journal 1818.

(7) The Edinburgh medical and surgical Journal 1828.

(8) Berliner mediz. Central-Zeitung, 7. Jahrgang 49tes Stück.

saluberrimum, laudat. Schlesier (1) hoc medicamentum impense probat; hominem quadraginta annorum, qui vicies alvum per septem hebdomades quotidie deponebat, intra octo dies, granis duobus Sacchari Saturni per diem datis, instaurabat.

Stockes (2) in diarrhoea chronica inter alia remedia adstringentia plumbum aceticum efficacissimum esse probat; nunquam ex ejus interno usu detrimenta observavit, quamquam haud raro magnas doses praescripsit.

XXV. Dothienenteritis. Contra hunc morbum plumbum aceticum primum a patre meo dilectissimo, atque ab eo commendatum, ab aliis quoque optimo cum eventu adhibitum est. Quae quum ita sint, liceat mihi, in singulari capite hac de re copiosius disserere, nonnullasqne morbi historias a patre meo maximamque partem a me quoque observatas, accuratius enarrare.

§. 10.

Ut Saccharum Saturni adhiberet in typho abdominali, commovebatur pater meus accuratius dis-

---

(1) Caspers Wochenschrift 1837.

(2) Ueber die Heilung der inneren Krankheiten. Uebersetzt von J. Behrend Leipzig 1835.

quisitis atque consideratis intestinorum ulceribus, quae in permultis, illo morbo mortuis, reperiuntur.

Quae quidem ulcera sine ulla dubitatione e singulari quodam mucosae intestinorum membranae morbo oriuntur, qui quamvis varie adhuc de eo judicatur, aptissima ad inflammationes numerandus esse videtur, eo quidem magis, quo magis symptomata quae in morbi exordio observantur, illi sententiae favent. Sive enim natura dothienenteritidis per se in specifica illa glandularum mucosae intestinarum membranae inflammatione atque suppuratione ponenda, sive haec minoris modo momenti sit, tamen, invento remedio, quod specifico quodam modo singularem illam inflammationem aut impediat, aut omnino tollat, ad sanandum morbum eheu! tam saepe funestum, multo proprius accessimus, quippe intestinorum vitium in typho abdominali imprimis prognosin incertam atque infaustam reddat. Experientia igitur, qua externum plumbi praeparatorum usum optimum esse scimus remedium externarum localium inflammationum, quippe quae secretionibus e vulneris superficie profusis ad liquandam atque solvendam organicam materiam tendunt, contra inflammationes, quae scriptoribus spuriae, asthenicae dicuntur, patrem meum, ut Saccharum Saturni hac in typhi specie adhiberet, eo magis

adhortabatur, quo melius illud remedium viribus sedativis atque adstringentibus ei videbatur, ad systematis vasorum erethismum atque sanguinis orgasmum, quem hoc in morbo cernimus, sanandum. Diutissime jam probatum et commendatum est Saccharum Saturni in febri hectica, quam quidem multa ac varia ratione cum typho abdominali, etsi diversissimi sint morbi, comparari posse, inter attentos observatores constat. Ut autem Saccharum Saturni nostro in morbo prospere adhiberetur, ante omnia dirimendum erat, quonam in morbi stadio eo uti incipere debeas. Statim ab exordio remedium porrigendum esse, minime probabile videtur, quum primis diebus certam diagnosin statui non posse, inter omnes constet, praecipue autem eapropter, quod tales febres non semper ad ulcera mucosae intestinorum membranae procreanda vergunt. Experientia autem docet, ulcera esse metuenda, si aegrotus conqueratur obtusos in regione inter scrobiculum cordis et umbiculum dolores, qui graviore pressione augentur, si praeterea frequentes, copiosae aquosae sedes appareant, quas virium, nondum gravius debilitatarum, infirmitas atque, aucta febri, plerumque cutis siccitas sequitur. Quae quidem symptomata magnum minitari periculum, inde ab omni tempore, etiam cum de pathogenia cer-

tabant, omnes intelligebant, etsi quid faciendum sit, parum inter se consentiebant. Dum enim altera medicorum pars, etiam sub illis tam periculosis symptomatis antiphlogistica methodo uti pergebat, altera pars, viribus aegrotoram tam celeriter consumtis deterrita, statim ad excitantia atque analeptica confugiebat.

Neutri bono successu gloriari poterant, praecipue autem secunda methodo utentes parum proficiebant, id quod tertiam medicorum partem commovebat, ut omnino levia atque blanda adhiberent remedia, sive rectius, ut nihil facerent. Quae quidem pars felicissimos obtinuit eventus, quum certe naturae medicatricis vires non inhiberentur.

Quod autem ad Sacchari Saturni medicatam vim probandam attinet, initium diarrhoeae, simulque pejor et periculosior omnium symptomatum conditio aptissimum, commodissimumque, quo remedium hoc adhibeatur, tempus indicare videtur, utpote quod statum morbi inflammatorium, in mucosa intestinorum membrana incipientem atque aucta et alienata secretione se manifestantem, tollat, priusquam finem atque exitum, nimirum ulcerum in illis organis formationem, assequatur. Eventus, quem patri meo sub illis periculosis conditionibus plumbum praestitit,

revera inopinatus erat atque sub oculos cadens; multis in casibus jam secundo die dolor et diarrhoea diminuta, aegroti conditio omnino multo melior, cutis atque lingua humidior apparebant. Praecipue celerrima illa typhi abdominalis in meliorem conditionem mutatio observari potest apud pueros, in quibus omnino morbi decursus, quam in adultis, rapidior esse videtur. Primis aegrotis, qui illa ratione curabantur, porrigebatur Saccharum Saturni cum gr. $\frac{1}{8}$ Opii conjunctum; quum vero pater mox noxiam hujus additamenti vim cognovisset, quippe quod nonnullis in casibns cita diarrhoeae suppressio atque congestiones ad caput sequerentur, Opium omnino omittebatur.

Primum metuebat, pater, ne lingua rubra, arida, qualem saepissime illa in febri invenimus, plumbi acetici usum vetaret; quamobrem parvas Ipecacuanhae doses addebat; mox autem, occasione oblata, sibi persuadebat, tale additamentum omnino nihil prodesse atque siccitatem linguae ejusque ariditatem plumbi acetici usum nequaqnam repudiare.

Efficacia salubris, quae illius remedii usu hoc in morbo impetratur, fere semper serius ocius cum diminuto excretionum numero, tum praecipue solidiore excretorum conditione cognosci potest. Noli vero

exspectare, meliorem aegroti conditionem semper tam prompte apparere; in nonnullis enim casibus pater Saccharum Saturni plures per dies noctesque continuo adhiberet necesse erat, priusquam aegrotus melius se habere incepit. Interdum paucis Sacchari Saturni dosibus datis alvi obstructio oriebatur, quam quidem mox vehementes capitis dolores et deliria sequebantur, ut typhus abdominalis in typhum cerebralem transiturus videretur. Cum illa symptomata apparebant, Saccharum Saturni non amplius adhiberi debuisse manifestum est; hirudines et oleum Ricini in ejus locum successerunt. Alia plumbi detrimenta, etiamsi diu adhibitum esset, omnino non animadvertit pater. Saepe postea ei oblata est occasio, plures eorum, qui, nervosa febri laboraverant plumboque sanati erant, longum per tempus, postquam convaluerant, observandi. Omnes optima fruebantur valetudine, quamquam remedium illud eo usque assumserant, donec crisis perfecta atque indubitata accesserat. Jam supra commemoravi inter prima crisis indicia aptum esse, aliud quoddam remedium addere; pater plerumque addidit Camphoram, pulveris forma usus.

§. 11.

MORBI HISTORIAE.

I. Vir adolescens, viginti tres annos natus, itinere pedestri per tres hebdomades facto, aegrotus domum quum rediisset, auxilium a patre meo petebat. Narrabat, se jam per aliquot dies male valere, nihilominus autem quotidie per horas atroci atque nimbosae sese commisisse tempestati, heri vero vespertino tempore ita defatigatum atque omnibus viribus destitutum revertisse, ut hodie lectulum derelinquere nequeat.

Die I. Aegrotus gracilis, constitutione non robustus, semper antea optima se viguisse corporis valetudine, dicebat. Conquestus est infirmitatem, insomniam, horripilationes, tussim siccam, capitis in regione frontali dolores, anorexiam, nauseam, alvum adstrictam, tensionem praecordiorum. Pulsus erat parvus, debilis, frequens, cutis mediocriter calida atque sicca, facies pallida, lingua humida, muco albido obtecta; magna animi anxietas, saepissime enim misere exclamabat, se metuere, ut unquam ad patriam reverteret. Patri meo illa aegroti anxietas eo pejoris ominis esse videbatur, quia, quod jam Josephus Frank observavit, pe-

regrinatores, qui tali cum morbo pluries jam dies conflixerunt, ubi tandem prostrati diu procul a patria degere coguntur semper magno versari in periculo, pluries in praxi sua expertus est. Praescribebatur Decoctum Althaeae cum Liquore Minder. et Vin. stibiat., nec non clysma, vespertino tempore applicandum.

Die II. Per noctem somnus inquietus erat, clysma nihil paene praestiterat, contra aegrotus mucum aquosum bis vomuerat; facies rubicunda, calor cutis auctus, sitis vehemens sed omnium potum, excepta sola aqua frigida, fastidium, pulsus admodum frequens; sed paullo plenior. Adhibebatur Infus. Ipecac. cum Sal. ammoniac., atque alterum clysma.

Die III. Medicus aegrotum non vidit.

Die IV. Conditio aegroti multo erat pejor. Noctem praeteritam valde inquictus, insomnis et delirans aeger transegerat; heri alvus bis secesserat, cutis ardens sicca, lingua rubra, velut combusta, conjunctiva leviter inflammata, pulsus parvus, duriusculus centum et duos habebat ictus, abdomen in regione epigastrica tensum et, si premebatur, dolens. Hirudines sex ad caput et quatuor ad scrobiculum cordis applicabantur; interne calomel. gr. ij p. d.,

clysma emolliens et vespertino tempore sinapismi ad suras administrabantur.

Die V. Magnam hirudines sanguinis copiam detraxerant, insuper epistaxis orta erat; fusae tenuesque sedes per noctem tres secutae sunt; aegrotus quietior, quam heri, delirat quidem, sed interrogatus plerumque bene respondet. Lingua adhuc arida est rubra, pulsus valde acceleratus; debilitas augetur; in pulsu tangendo musculorum tremor animadverti poterat. Decoct. Alth. cum Sale ammon. praescribebatur.

Die VI. Nocte praeterita diarrhoea vehemens orta est, materia foetida, seroso mucosa, cum faecibus mixta, saepius deponebatur. Abdomen supra umbilicum inflatum, tactu dolet, calor cutis maxime auctus. Cerevisiam invito medico datam paullo post revomuit; permagna imbecillitas; pulsus et tremor musculorum iidem ut heri, surditas, cutis plane arida. Praescribebatur interne Plumbi acetici gr. ß pulv. gummos., Sacch. aa gr. IV. D. S. Quovis trihorio die noctuque talis pulvis sumatur.

Die VII. Conditio fere eadem, diarrhoea, frequens, collapsus virium perspicuus, facies pallida, lingua sicca, alvus adhuc dolorifica, sitis minus vehe-

mens. Sinapismus abdomini impositus et plumbum aceticum continuatum est.

Die VIII. Nox minus cesserat inquieta, alvi excretionum numerus usque ad duas diminutus est, pulsus modice frequens; aegrotus leviter sudat et capite et manibus, lingua quoque minus arida. Datum est plumbi acetici gr. ß, Camphor. gr. ß, Pulv. gummos. Sacchar. āā gr. VI. S. Quovis trihorio pulvis. Cerevisiam, quam iterum iterumque appetebat atque flagitabat, aqua admixta, sine ullo damno bibit. Per diem bis alvus deponebatur, sedes pulti similes quinque continebant ascarides lumbricoides. Hora vespertina octava aegrotus inquietus vehemente pectoris oppressione vexabatur. Pulsus non exacerbationem morbi, sed crisin indicebat, quamobrem solum maniluvium e decocto Semin. Sinap. praescribebatur.

Die IX. Per noctem bene dormiverat aegrotus, mane sudor tepidus apparuit et resolutio morbi per crisin intravit.

Ut omittam cetera: morbus pedetentim decrevit, aegrotus lente tardeque vires recuperavit atque in integerrimam, qua prius fruebatur, valetudinem omnino restitutus est.

II. Puellae tredecim annos natae, ruri vi-

ventis, parentes patrem meum consultabant, minime vero, ut eam inviseret, petebant. E parentum narratione, puellam febri ex refrigeratione orta, correptam esse pater colligebat. Praescribebat igitur Decoct. Althaeae cum Liquor. Minder. atque Oxym. simpl., et vespertino tempore lavationem pedum ex Decoct. sem. Sinap. Tertio die, ut aegrotam inviseret, petebant parentes. Mala erat puellae conditio, remedium antea praescriptum diarrhoea erat secuta, quae adhuc perdurabat, sedes aquosae, foetidae, colorem habebant fuscum. Pulsus frequens, parvus, debilis, facies pallida abdomen inter scrobiculum cordis et umbilicum inflatum. Interdum delirabat aegrota, neque vero praesente medico; lingua sicca rubra, sitis vehemens. Sinapismus regioni epigastricae imponebatur et interne hi pulveres praescribebantur.

℞ Plumbi acetici gr. ß
Camphor. gr. $\frac{1}{6}$
Pulv. gm. mimos.
Sacch. alb. aa gr. V.
DS. Quovis trihor. pulv.

Postero jam die referebant propinqui, puellam melius se habere et quum medicus post biduum aegrotam iterum inviseret, per noctem sudor criticus intraverat, quo facto puella celeriter convalescebat.

§. 12.

Prosperrimus hic in tam multis ac variis morbis plumbi usus refutat opinionem eorum, qui illud remedium tam graviter accusant atque omnino contemnunt. Quamquam perniciosam ejus vim hodie adhuc observari, haud negamus, et quanquam exempla exstant, quae aegrotos, plumbo acetico diu usos, colica saturnina correptos esse contestantur, tamen plerumque levis haec colica erat atque celeriter et facile curabatur. Jam vero adhuc lethalis exitus nonnunquam observatur; morbus quidem tollitur, sed aegrotus plumbo moritur, cujus quidem rei causa non plumbo sed medico imputanda est; provide ac caute adhibitum nocere nunquam solet. Sic nuper Tanquarel des Planches (1), se juveni, ait, cordis hypertrophia laboranti plumbum aceticum praescripsisse. Hypertrophia quidem sanabatur, sed aegrotus, omnia colicae saturninae et paralysis symptomata prae se ferens mortuus est; acceperat autem quotidie viginti quatuor grana. Sunt tamen alii medici, qui plumbum aceticum interne adhibitum colicam saturninam nunquam procreare posse contendunt. Sic Stokes (2)

---

(1) Schmidt's Jahrbücher der gesammten Medizin, Band 14, Leipzig 1837.

(2) l. s. conf. pag. 140.

se expertum esse dicit, omnibus in casibus, in quibus Saturni usum colica saturnina secuta sit, illud adhibitum fuisse externe. Provocat ad A. T. Thomson, qui illi opinioni assentiens, plumbi acetici solutionem, aeri expositam, magnam acidi carbonici copiam absorbere, itaque sal aceticum commutari in sal carbonicum contendit.

§. 13.

In variis illis supra enarratis morbis dosin, qua plumbum porrigabatur, omnino incertam atque dubiam fuisse, invenimus; utebantur medici modo magnis, modo parvis dosibus. Dolendum est, quod adhuc adhibentur doses, quae permagnas illas in paragrapho V commemoratas atque ab antiquis medicis adhibitas doses adaequant. Sic dedit Smith (1), medicus americanus, mulieri cuidam, a rabioso cane morsae, intra quatuor dies trecenta grana plumbi acetici, atque insuper externe adhibuit aquae saturninae ℥ IV.

Quamquam tantae doses minime probandae sunt, tamen nunc multis experimentis, modicas quidem doses organismo nihil nocere, satis firmatum est. Praeterea tot tantisque hujus praestantissimi remedii portionibus nequaquam opus est; quum parvae doses suf-

1) Sachs und Dulk, Arzneimittellehre.

ficiant. In acutis quidem morbis raro plus, quam granum dimidium p. d. adhibendum est, alia vero est chronicorum morborum ratio. Quum enim aegrotus remedio diu jam usus, et organismus ei assuefactus sit, magnas quoque doses per longum tempus, sine ullo detrimento aegrotos sumere, nonnunquam observamus. In universum dicere licet, paululum plus minusve non tanti aestimandum esse, quanti certam et rectam indicationem et usum tempestivum. Remedium per se quidem sano corpori est venenum; interne vero adhibitum morbo ita commutatur, ut virulenta ejus vis, in exstinguendo modo morbo praesens atque efficax, illo exstincto, sponte tollatur. Cum vero talis morbi conditio, contra quam Saccharum Saturni saluberrimum esse experientia docet, non adest, indicatio igitur illud praescribendi deficit, permultum damni afferat, necesse est, quum aegroto corpori nova materia noxia addatur.

§. 14.

Veteriores medici plumbum, crisi praesente, adhibendum non esse contendunt. Sic Hundertmark (1): »in aegrotis, inquit, ubi malus corporis habitus et suspicio viscerum obstructorum atque scirrhorum est,

(1) C. F. Hundertmark. Exercitatio academica etc.

omnino ab eo abstinendum (plumbo acetico), item, ubi vel in robustissimis, qui febri acuta laborant, solutio morbi per crisin, quam vocant, necesse videtur, uti per haemorrhagiam, sudorem, urinam, alvum fusam, sputum, etc. etc.« — Timor, ne sub illis symptomatis plumbi usus noceat, ortus est e contrahentibus ejus viribus, quae secretiones impediunt atque coercent; est autem vanus et destituitur argumentis. Si enim plumbum in quodam casu statum morbi tollit, secretiones criticas adjuvet necesse est; quod ad sanitatem recuperandam confert, criticas secretiones, quaecunque sint, impedire nullo modo potest, quibus natura, etsi ipsam morbosam materiam non excernat tamen omni modo turbatum virium aequilibrium restituere studet. Optime comprobatur sententia nostra Dothienenteritide, quo in morbo, plumbi acetici usu crisis urina, sudore et lingua humida semper indicatur. Ne igitur crisis medicum a plumbo adhibendo deterreat; conjungatur modo cum aptis, crisin etiam adjuvantibus remediis.

§. 15.

Jam supra vidimus, medicos plumbum cum aliis adjuvantibus remediis semper conjunxisse. Veteres quoque medici illam secuti sunt methodum. Sic dicit

Hundertmark: »Si semel eodem (nempe Saccharo Saturni) utimur, portio ejusdem haud magna sit, et nunquam sola sine alius medicamenti camphorae, nitri depurati, cinnabaris, admixtione applicetur.« Quibus adjuvantibus id potissimum vitare studebant, ne plumbi usum alia quaedam incommoda sequerentur.

Quod autem saepissime addebatur, et erat et adhuc est opium, eam quidem ob causam, quod hoc remedium optime tueri existimabatur a colica saturnina, quae longiorem nostri remedii usum saepe sequitur. Ut autem irritantem Opiio vim omittamus, Saccharum Saturni est praeparatum tam facile decompositu, ut ipso opio decomponi dicatur. Sic affirmat quidem Hübschmann, pharmacopola Helvetus, decomponi plumbum aceticum, si opio conjungatur, quum in spiritu vini insolubile plumbum meconicum et morphium aceticum formet. Tamen illae coniunctiones haud raro necessariae esse possunt; sic quidem imprimis in Dothienenteritide crisi praesente, camphorae conjunctio utilissimam se praebuit. Nullo autem modo nitrum aut alia salia neutra, auctore Hundertmark, addenda sunt, quippe quibus sine ullo dubitatione plumbum decomponatur.

§. 16.

De interno igitur plumbi usu haec potissimum statuenda esse videntur:

I. Adhibeatur modo remedium illud praesentissimum conditione morbi quam diligentissime explorata, atque indicationibus quam certissime constitutis, quum temere adhibitum, multo plus quam alia minus fortia remedia, nocere possit.

II. Constituatur quam certissime momentum, quo indicatio incipiat atque finiatur.

III. Adhibeatur in universum neque nimis magnis, neque nimis parvis dosibus.

IV. In acutis quidem morbis sit dosis generatim minor, sed porrigatur saepius; contraria sit chronicorum morborum ratio.

V. Ne adjungantur inepta additamenta, imprimis ea, quae illud decomponant. In plurimis quidem casibus optimum esse videtur, ut solum, vel in mucilaginoso aliquo decocto, vel pulveris forma cum pulvere Rad. Liquirit. exhibeatur. —

VITA.

Natus sum ego Constantinus Spiritus, Solingensis, die IV. Octobris a. MDCCCXV. parentibus Guilelmo Spiritus, medico practico et rebus medicis circuli Solingensis publice praefecto, atque Friderica e gente Theegarten, quam ante aliquot annos morte mihi ereptam lugeo.

Fidem confiteor evangelicam. Primis literarum elementis in patria urbe imbutus, per tres annos gymnasium Essendiense frequentavi, quo derelicto Gymnasium adii Duesseldorpiense, quod sub auspiciis Ill. Wuellner maxime floret. Unde autummno anni MDCCCXXXV. cum maturitatis testimonio demissus almam Fridericam Guilelmam Rhenanam petii atque ab Ill. Freitag, tunc rectore magnifico, inter cives academicos receptus, postquam Decano ordinis medicorum Ill. Ennemoser nomen dederam, per annum

unum audivi disserentes: Ill. Brandis de historia philosophiae; Ill. Fichte de logice; Ill. Goldfuss de Zoologia et de historia naturali mammalium; Ill. Noeggerath de mineralogia; Beat. a Muenchow de physice; Ill. Treviranus de Botanice; Ill. G. Bischoff de chemia experimentali, de phytochemia ac zoochemia; Cel. Albers de Encyclopaedia et Methodologia medica; Ill. Mayer atque Ill. Weber de Anatomia generali et speciali; Ill. Mayer de physiologia.

Autumno anni MDCCCXXXVI. ad hanc almam universitatem Fridericam Guilelmam me contuli, ubi ab Ill. Busch, t. t. prorectore magnifico, in civium academicorum numerum receptus et ab Ill. Wagner t. t. ordinis medicorum Decano spectabili medicinae studiosis adscriptus sum. Hae sunt lectiones, quibus per tres annos interfui.

Ill. Mueller de anatomia et humana et pathologica; in arte cadavera rite secandi duces mihi fuerunt Ill. Mueller et Ill. Schlemm; Ill. Osann de materia medica; Beat. Hufeland de pathologia generali; Ill. Hecker de pathologia et therapia speciali; Ill. Rust de helcologia; Cel. Romberg de morborum Diagnosi et de morbis nervorum; Ill. Kluge

de arte obstetricia; Ill. Juengken de chirurgia; Ill. Wagner de medicina forensi.

Praeterea scholis clinicis medicis Ill. Osann, Ill. Wolff et Ill. Wagner; chirurgicis Ill. de Graefe et Ill. Rust saepius interfui. Non minus clinicum obstetricium Ill. Kluge et institutum exercitationibus medicinae forensis practicis destinatum Ill. Wagner frequentavi. Ad operationes ophthalmiatricas Exper. Angelstein me instituit.

Quibus omnibus viris egregiis, optime de me meritis, gratias maximas habeo et in aeternum habebo.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico, nec non examine rigoroso absolutis, fore spero, ut, dissertatione, thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Suspensorum mortis causam in apoplexia ponendam esse censeo.
2. Num mentis perturbatio adsit, nec ne, dirimere solius medici est.
3. Saturni usus internus neutiquam est fugiendus.
4. Curatio sic dicta radicalis Hydroceles non semper est indicata.
5. Generatio aequivoca non est neganda.